

tas intimare, nî eadem hæc omnia dudum Tibi constare nossem. Interea hæc ad Te dedi, ut errore circa Inventorem hujus Tibi conceptô, quò & ipse cum pluribus aliis implicabar, Te extricare. Nec offendat, quòd in Scriptis, præsertim Weigelii nostri, depositum hoc Pythagoricæ sagacitati acceptum feraatur ; sed hoc modestiæ Viri, fœtus suos quamvis parente dignissimos, alienæ familiæ singulari adoptio-
nis ratione asserentis, in solidum, ut supra retuli, tribu-
endum esse recordabere. Quo ipsò certe, ut ubique assolet, antiquam tūm philosophandi, tūm vivendi consuetudinem redintegrare nititur. Ceterum, si semita, quâ nos ad Tetractyos vel de novo inventio-
nem, vel Pythagoricæ reparationem, perreximus,
durior Tibi aliisque æstimabitur, quâm ut eam teren-
do vestigia nostra retexas, aliam ut ingrediaris neuti-
quam indignamur. Quemlibet enim suo sensu
abundare permittentes, nemini quicquam obtrudi-
mus ; hâctamen lege, ut & nos libertati nostræ per-
mittamus. Vale.

Dab. Jen. Calend. Novembr.

M DC LXXII.